

- 40 idem constituit 88. *incip.* Alids §. 2. Atque etiam ex-pleta poena eodem privilegio privati remaneant, & habitum clericalem reassumere nequeunt; idem *ibid.* Utrum prescripta ad Concil. Trident. servaverint, ab Ordinariis est declarandum, non retardata asseratione personae; idem *ibid.* Simpliciter vero tonsurati non beneficiati, etiam servantes praescripta Concilii, privantur privilegio fori post homicidia, & idem *ibid.* \* (Vid. *sup.* art. 4. in *add. Auctoris* ex 2. editione.)
- 42 \*\*\* Ex mente ac sententia ecclesiae Clericis Tonsuram conferri, ut per eam militiae Christi adscribantur, & ita à seculi servitute liberati, Deo fidelem cultum praestent, nemini dubium esse potest.
- 43 Hinc à Tonsura clericali Clerici nuncupantur, & de foro ecclesiae constituuntur, atque ita privilegia clericalia adipiscuntur; ut ipsismet Episcopus ordinans ex Pontificali Tonsurandi denuntiat, dicens: "Filii charissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, & privilegia clericalia sortiti estis." Pontif. Roman.
- 44 Nihil adeo vocationi clericali oppositum, nihilque ecclesiae magis probrosam & laicis scandalosum, quam otiosam esse ac inertem Clericorum vitam.
- 45 Hinc jam pridem sollicita fuit ecclesia, ne quis in Clerum assumeretur, nisi certo loco adscriberetur, ubi functionibus Ordini suo convenientibus occuparetur, & vitam Clerico dignam institueret.
- 46 Quam disciplinam canone VI. Concilii Chalcedonensis probatam, sed temporum injuria pene collapsam, restauratam volens Synodus Tridentina, inhaerendo vestigiis dicti Concilii, statuit; "Ut nullus imposterum ordinetur, qui illi ecclesiae, aut pio loco, pro cuius necessitate ad utilitatem assumitur, non adscribitur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus." *Sess. 23. cap. 16. de reform.*
- 47 Ab hac regula non immerito excipiuntur in Universitate aut seminario degentes; hi enim praeterquam quod in oratorii collegiorum aut seminariorum functionibus Ordinum obire soleant, etiam studiis aliisque exercitiis se ad altos Ordines, & majores functiones obeundas ex voto ecclesiae preparant.
- 48 Clerici possunt certae ecclesiae adscribi tum ipsa ordinatione, tum per beneficium acceptionem, & canonicam in iis institutionem.
- 49 Semel ac quis alicui ecclesiae adscribitur, ita eidem alligatur, ut eam inconsulto Episcopo numquam deserere possit. Et si quis inconsulto Episcopo eam deseruerit, Synodus Tridentina vult, ut eidem sacrorum exercitiis interdicatur.
- 50 Quae disciplina praestantibus ecclesiae canonibus conformis, & pluribus Romanorum Pontificum rescriptis confirmata, tali auctoritate donata est, ut juris communis partem hodieum constituat.
- 51 Ita ut nec Episcopis alienos Clericos sine licentia proprio Episcopi suscipere ex canonibus unquam licitum esse possit.
- 52 Quam odiosae semper fuerint Clericorum de una ad aliam ecclesiam migrationes, quae vel ex ambitione, vel ex avaritia procedere solent, probat vel ipsa poena à Concilio Chalcedonensi inflictis tam in Episcopum suscipientem, quam in Clericum susceptum, quae est, ut ille ab exercitio pontificali, iste vero à functionibus Ordinis suspendatur. Quam poenam optandum maxime, ut hodie Clerici illi saltem expendatur, qui non alio quam lucrati aut proprio commodi vel promotionis intuitu, videtur ecclesiae esse adsripti; ita ut dubium esse non possit quin deserturi eam sint, ubi majus lucrum, vel aliud quidpiam tempore offerretur.
- 53 Ex praesallegata disciplina inferitur, quod Clerici ad Ordines promoveri non possint nisi à proprio Episcopo.
- 54 Item quod hujusmodi promotio sive ordinatio peragi non valeat, nisi ad titulum illius ecclesiae, cui Clerici sunt adsripti.
- 55 Et titulum ordinationis acceptum fuisse pro ecclesia, cui Clerici adscriberentur eum in finem, ut ibidem stabiliter functiones Ordinis proprias obirent, indubitatum est; ita ut ante seculum XII. cum de titulo or-

inationis agebatur, numquam mentio patrimonii, aut proventus, unde Clerici sustentationem accipere possent, ullibi facta fuerit.

Cum itaque patrimonii titulus invaluerit, non amplius titulus ecclesiasticus acceptus fuit pro ecclesia, sed pro proventus, è quibus ipse Clericus honeste vivere possit.

Hinc Synodus Tridentina duos ordinationis titulos agnovit, *beneficentialem* scilicet & *patrimoniam*, cum hac tamen differentia, ut primus Ordinarius, alter vero Extraordinarius habeatur.

Ex quo concludendum esse videtur, Synodum non voluisse in titulo ordinationis solum attendi, utrum Ordinandum habeat sufficiens vitae subsidium; id enim aequè ex patrimonio, quam ex beneficio haberi potest; sed insuper ut Clericus alicui ecclesiae sui tituli adscribitur, ubi stabiliter functionibus sui Ordinis incumberet; quemadmodum Patrum disciplina religiose servavit quae Clericos otiosos & vagantes, nulli specialiter ecclesiae adscriptos, excludens ab ordinatione volebat.

Cum autem per ordinationem Clerici Ministri ecclesiae efficiantur, aequum est ut ipsi laicorum sint Ministri & Doctores, ea vitae integritate viuentes, ut quae verbo alios docent, operibus non plane.

Hinc plurima à Clericis sunt negata, quae sunt inhonestas in habitu, incontinentia, & familiariorum cum mulieribus conversatio, ebrietas, comestatio, popinaram frequentatio, ludus alearum, seu à fortuna dependens, venatio, mercatura, & hujusmodi alia, de quibus Auctor noster fure dissertit.

Cum de exemptione Clericorum sermo est, non sic eam competere ecclesiae intelligendum est, quin supremus Princeps, qui eam benigne indulgit, possit eandem restringere, mutare, ac ejusdem legitimum usum praescribere, ubi commune bonum id exigerit; uti etiam eos non raro fecisse constat. Manet enim semper apud illos summa potestas ordinandi, statuendi, & agendi, quae ad subditorum & reipublicae commodum, secundum Deum judicaverint expedire.

Quo vero ad immunitatem, de qua Auctor noster, 62 Decretales attendamus, evidens est, Clericos, sive personas ecclesiasticas immunes esse ab exactiōibus ac tallis & oneribus patrimonialibus, quae personalia dicuntur. Sed quemadmodum haec Ecclesiae & Clericorum immunitas praestant ab oneribus temporalibus non ita est accipienda, quasi esset jure divino praecipua & stabilita; ideo ut pro temporum & locorum diversitate varias circa ipsam fuisse, & adhuc esse disciplinam constat; ita in hac materia non nisi consuetudo & usus receptus attendenda videntur.

Inter onera mere personalia, sed tamen patrimonialia, est illud quod *Capitatio* dici consuevit, estque vectigal sive tributum, quod pro capite solvitur, puta quod patres familias pro singulis capitibus aerario publico dependere coguntur.

Ab hoc titulo sive onere Clericos esse immunes ex jure scripto evidens est; cum nimis evidens sit hujusmodi oneris impositione ecclesiasticas personas à laicis gravari contra *cap. 7. tit. de immunit. eccles. & cap. 1. de censibus in VI.*

Quoad hanc materiam nihil aliud subjiciendum ducimus, nisi quod optimum & efficacissimum medium conservandae immunitatis bonorum ecclesiasticorum erit, si bona ecclesiastica in usus ecclesiasticorum operantium in vinea Domini, ex iis moderate viventium, & alimenta pauperum altrove pios usus impendentur. Si enim hunc in usum bona ecclesiae impendi viderent Principes, haud dubie non secus ac majores ipsorum ad bona illa ecclesiae integra servanda incitarietur; ubi contra, dum ea in usus profanos contra fundatorem & offerentium intentionem insumi conspiciunt, parum existimant placidum, dum ea in reipublicae commoda convertunt; tuncque saepe locum habet illud vulgatum: *Quod non capit Christus, rapit Fictus.* (Vid. *add. not. hist. lit. A. pag. 130. col. v.* & recognosce *Brev. ibi cit. D. Bened. XIV. ad lit. B. insertum praecipue col. 414. vers. Nos, aunque. .*)

CLE-

## CLERUS.

- 1 \*\*\* CLERUM omnem, tamquam membrum & partem reipublicae, Principibus subjeci, expeditum est. *Omnis enim anima* (teste Apostolo ad Rom. 13. vers. 1.) *potestatibus sublimioribus subdita sit.*
- 2 Certum est quod jam pridem in more fuerit, ut non tantum seculares, sed & ecclesiastici Proceres annua dona sive munera Principi offerrent.
- 3 Quod per haec dona Clerus satisfacere intendere debito suo erga Principes per Apostolum denuntiat, scribit Hincmarus Remensis Opusculo *De Ordine Palatii.* Verba ejus sunt: "Causa sive defensionis Regi ac reipublicae vectigalia, quae nobiscum annua dona vocantur, praestat ecclesia, servans quod jubet Apostolus: *Cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal, praestare Regi ac Defensoribus vestris.*" *Roman. capit. 13.*
- 4 Etiam Patres congregati in Synodo secus Theodanis Villam staturerunt, ut Clerus, & omnes Ecclesiastici, quantum possunt, non tantum spiritali, sed & temporalis subsidio Regi auxilio essent. Verba Synodi sunt: "Unusquisque vir ecclesiasticus & intercessionis adjuvatorum, & solatii quo respublica indiget subsidium, juxta quantitatem rerum ecclesiae sibi commissae, salvo jure quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, promte & ex animo parat & impigre, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit afferre."
- 5 Et sane numquam ecclesia non probavit, ut etiam eadem facultatibus Reipublicae & Principibus ad defensionem regni, aliasque necessitates liberales & grati animo subsidium feratur.
- 6 Occasione expeditionis Hierosolymitanae pro recuperatione *Terrae Sanctae* pro expensis illius expeditionis sustinendis, cepisse à Clero postulari contributionem, apud omnes in concessio est.
- 7 Hac contributo etiam exigi coepi ad bellum conficiendum contra alios haereticos. In Concilio enim Bituricensi decretum fuisse legitur: "Clerus cum animi gaudio, de pura liberalitate, ne tanto negotio deesse videretur, dimidiam partem decimae, non quidem nomine decimae, sed obentum subsidii persolverunt, aliam partem & etiam majorem, si expediret, si Deus eundem Regem reserasset incolumen, & in eodem negotio persistentem, libenter & liberalitate solvitur."
- 8 Processu temporis adeo frequentes fuere haec decimarum impositiones, ut fere annuae & ordinariae fierent; & Reges eas in suam avaritiam referre postea non dubitarunt.
- 9 Interim Clerus jam quodammodo assuefactus huic decimarum pensationi, eam in defensionem & conservationem proprio regni & ecclesiae annuere non desistit.
- 10 Et hac contributoe titulo defensionis vel tuitionis semel introducta, eam in casu necessitatis à Praelatis & Clero Principes passim petiere.
- 11 Ut autem progressu temporis Pontifices Romani voluerunt, ut absque expressa Sedis Apostolicae licentia non liceret in aliquam contributionem consentire; ita interdum impetrata licentia Pontificum, interdum ipso Clero in subsidium ad postulationem Regum consentiente hujusmodi impositionem exactam fuisse multis ostendit Ludovicus Thomasinus *de discipl. eccles. p. 4. lib. 3. cap. 24.*
- 12 In annuendis subsidiiis ea ratio potissimum tenenda videtur, ut dum necessitates patriae succurri pretenditur, ipse Clerus ac signanter Pastores & animarum Directores suis necessariis non priventur.
- 13 Unde omnino justum est, dum subsidio aut aliqua voluntaria contributione Clerus gravatur, ut ipsa pastoralis competentia omnino servetur exempta.
- 14 Et nullatenus verisimile est, Principes desiderare, ut per subsidia competenzia pastoralis minuat, qui tan-

topere solliciti fuerunt, ut sine mora Parochis de competentia provideretur.

## COADJUTORIA, COADJUTOR.

## SUMMARIUM.

- 1 *Сoadжyтopия* quid sit, & quotuplex, ad num. 2.
- 2 *Qujusmodi sit coadjutoria à Tridentino prohibita*, ad num. 5.
- 3 *Quae vero licita, & à quibus concedenda*, ad num. 8.
- 4 *Unde coadjutoris nomen & officium*, ad num. 10.
- 5 *Quos & quibus de causis dari possit coadjutor*, ad num. 17.
- 6 *Agitur de qualitatibus coadjutoris*, ad num. 21.
- 7 *Quid commune habeat coadjutor Episcopi cum Administratore & Suffraganeo*, ad num. 26.
- 8 *Quae sint coadjutoris iura, honores & onera*, ad num. 52.
- 9 *In quo differat coadjutor Episcopi à coadjuto quoad extrinsecam dignitatem*, ad num. 55.
- 10 *Utrum teneatur coadjutor visitare limina Apostolorum, residere, & Pontificalia agere ad nutum coadjuti*, ad num. 57.
- 11 *Quae sibi invicem habeant coadjutor & coadjutus*, ad num. 63.
- 12 *De precedentia coadjutoris*, ad num. 67.
- 13 *De precedentia, jure, ac honoribus Episcopi Suffraganei*, ad num. 104.
- 14 *Coadjutorem habens in cura animarum an dispensetur à residencia*.
- 15 *Substituuntur Additiones ex aliena manu*, ad num. 110.

COADJUTORIA est facultas ex causa auctoritate juris, vel iudicis cuiusdam concessa adjuvandi Praelatum, vel alium Beneficiatum in ecclesiae, vel beneficii regimine; *Est in re communis.* Et coadjutoria est duplex; una temporalis, & revocabilis, seu data sine jure succedendi in ecclesia, seu beneficio, per quam Praelato, seu Rectori ecclesiae, aut alii Beneficiato propter infirmitatem, aliamve causam impedito ab exercitio sui muneris, datur coadjutor, quamdiu is vivit; *cap. Ex parte sua, & cap. In Consultationibus 6. de Clerico aegrotante.* Alia est perpetua, & irrevocabilis, seu data cum jure succedendi in ecclesia, seu beneficio, per quam coadjutori jus tribuitur, mortuo coadjuto, in ejus ecclesiam, seu beneficium succedendi; & haec est stylo est adinventiva, ut apud *Cass. decis. 2. n. 2. de restit. spoliat. Fagnani in dist. cap. Ex parte sua num. 5.* Cum talis coadjutoria sit sacris canonibus inimica, & odiosa, *cap. Acceptimus 5. de pactis, cap. Nulla 2. de concessionis praebend. cap. Detestanda 2. cap. Ne captanda 3. de concess. praebenda in 6. & expresse prohibita à Concilio Trident. *sess. 25. de reform. cap. 7. vers.* In Coadjutoris, ibi: "In coadjutoris quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur." Unde coadjutoria perpetua cum futura successione, utpote sacris canonibus odiosa, & Patrum decretis contraria, concedi non potest, nisi per Papam, cum ipse solus secundum plenitudinem potestatis de jure possit supra jus dispensare, *cap. Propositus 4. de concessionis praebend. ibi: Qui secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare.* Hinc fit quod talis perpetua coadjutoria cum futura successione, nequeat concedi neque à Cardinali Legato, seu Nuntio. *Gonzal. ad regul. 8. Cane. gloss. 5. §. 9. n. 91. Garzias de benef. part. 4. cap. 5. num. 19. Monet. de distributionibus quotidianis part. 2. quest. 1. num. 33. Paris. de resignat. lib. 6. quest. 5. num. 15. & lib. 7. quest. 20. num. 24.* Coadjutoria autem temporalis sine futura successione in ecclesiis, & beneficiis Episcopatu inferioribus, potest concedi à proprio Praelato. Parochis enim, & aliis Beneficiatis Episcopis inferioribus, qui*

qui propter infirmitatem incurabilem, aut aliud perpetuum impedimentum munus suum adimplere nequeunt, coadjutore tempore dare pertinet ad proprium Episcopum, quia sicuti Episcopus potest eos instituire, & destituere in beneficiis, ita potest etiam, & quidem a fortiori, coadjutorem dare. Ita Joa. Andr. in cap. Consultation. 6. de Clericis aegrotantibus num. 7. Abbas ibid. num. 5. Gonzalez ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 9. n. 7. mer. 38. cum aliis ab ipso citatis. Notanter vero dictum fuit in ecclesiis, & beneficiis episcopatu inferioribus, quia coadjutorum datio etiam temporalis Episcopis, & Superioribus Praelatis, est de causis maioribus, & pertinet ad solum Papam, non obstante consuetudine contraria; textu expresso in cap. Pastoralis unic. de Clericis aegrot. in 6. ibi: "Pastoralis officii debitum exequentes declaramus, atque statuimus, & coadjutoriam Episcoporum, & Superiorum Praelatorum intelligendam esse de causis maioribus, & referendam ad Sedem Apostolicam, ac ab ea (consuetudine non obstante contraria) tantummodo postulandam." Nec obstat textus in cap. Ex parte 5. de Clericis aegrotantibus: quia potius facit per hoc partem, nam Episcopus Arelatensis ibi signatus non dedit coadjutorem Episcopo Comprovinciali auctoritate ordinaria, sed tanquam Sedes Apostolica delegatus; ut patet ex littera, ibi, *Mandamus*, & observavit ipse Card. in 4. not. Abb. n. 3. Guid. Papa n. 2. Fagn. n. 2. & Gloss. in dict. cap. Pastoris, verb. Tantummodo.

9. Coadjutor est ille, qui datur ex causa juris, vel judicis auctoritate ad coadjuvandum officium Praesidentis, seu Ministri ecclesiae. Ita Joa. Andreas in cap. Consultation. 6. de Clericis aegrotantibus num. 3. vext. De primo dic. & ibi Burr. Card. Anchera. Abbas, & alii communiter cum Fagnan. num. 22. Dicitur enim coadjutor ad coadjuvandum, sicuti tutor ad tuendum, quasi tutor, & defensor l. 1. ff. de tutel. Fagnan. loc. cit. n. 13.

11. Coadjutor ob varias causas dari potest, & solet. Primo datur coadjutor simpliciter, & sine futura successione Clericis ob morbum incurabilem, perpetuum, cap. Ex parte 5. de Clericis aegrotantibus, ibi: *Gravi & incurabili morbo*; cap. Pastoralis unic. de Clericis aegrotantibus, ibi: *Incurabili morbo gravatus, & perpetuo impedimento detentus*. Secus est dicendum, si morbus sit curabilis, & temporalis, tum enim ipsemet Clericus aegrotus poterit sibi Vicarium temporalem constituere pro tempore morbi durantis; arg. cap. Adjicimus 16. causa 16. quest. 1. juncto Concilio Trident. sess. 21. cap. 1. de reform. ubi Rectores ecclesiarum jubentur sibi tot sacerdotibus ad munus pastorale adjungere, quot sufficientes ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. Ita Joa. Andreas in dict. cap. Consultationibus num. 6. Fagnan. ibi. num. 11. 12. & 13. citans Hostiensis in cap. Clericos de officio Vicar. & alios. Secundo propter lepra[m], cum ratione lepra non possit leprosus Clericus sua officia obire sine scandalo, & horrore populi, cap. De Receptoribus 3. de Clericis aegrotantibus, ibi: "De rectoribus ecclesiarum lepra[m] macula usque adeo infectis, quod alteri servire non possunt, nec sine magno scandalo eorum, qui usant sunt, ecclesias ingredi, hoc volumus te tenere, nequod eis datus est coadjutor." Concordat cap. Tua nos 4. eod. tit. Tertio datur coadjutor beneficiato propter amissum linguae usum; cap. Consultationibus 6. de Clericis aegrotantibus, ibi: "Archidiacono autem, quem morbo paralytico laborantem officium linguae assersis amisisse, coadjutor est merito adhibendus." Quarto dandus est coadjutor Clerico beneficiato propter ejus amentiam; cap. Quamvis 13. caus. 7. quest. 1. cap. Pastoralis unic. de Clericis aegrotantibus in 6. Quinto datur coadjutor propter senectutem, atque ingravescentem aetatem beneficiati, quia ipse reddat perpetuo inutilis ad executionem officiorum suorum, cap. Petisti 17. quest. 1. & dict. cap. Pastoralis, ibi: "Episcopus senio aut valetudine corporali gravatus, vel etiam aliis adeo impeditus perpetuo, ut suum officium nequeat exercere." Sexto propter imperitiam, & illitteraturam Rectorum ecclesiarum parochialium, textu expresso in Concilio Trident. sess. 21. cap. 6. de reform. ibi: "Quia illiterati, & imperiti parochialium ecclesiarum Rectores sacris minus apti

»sunt officiis... Episcopi etiam tanquam Apostolica Sedis Delegati eidem illiterati, & imperiti, si alias honeste vix sint, coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eidem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint." Coadjutor debet habere omnes qualitates de jure requisitas ad illud officium, pro quo datur. Sic expresse statuit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7. de reform. unde debet esse constitutus in illa aetate, quae ad obtinendum illud beneficium, seu ecclesiam requiritur. Rota dicitur 347. num. 3. part. 3. divers. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 9. num. 6. Gazias de beneficio, part. 7. cap. 4. in fine, Barbosa in Concilio Tridentino, sess. 25. de reform. cap. 7. num. 38. & de Canonici cap. 29. num. 48. Squillant. de privil. cap. 4. num. 97. & alii passim. Et si coadjutor datur in spiritualibus Parocho, & gr. aut Episcopo, debet habere scientiam & prudentiam, quae sciat populum regere, parochiam, vel dioecesim gubernare, animarumque sibi commissarum salutem prospicere, & inquietos sub disciplinam vinculo constringere; cap. Quamvis sit triste 14. cap. Petisti 17. & cap. Quia frater 18. caus. 1. cap. Ex parte 5. de Clericis aegrotantibus. Et coadjutor datus Episcopo universaliter quoad spiritualia, debet esse Episcopus consecratus, aliter non posset exercere pontificalia, sed solummodo jurisdictionem episcopalem; arg. cap. Aqua, de consec. eccles. Si vero datur coadjutor Episcopo, vel alteri Beneficiato, seu Rectori ecclesiae solum in temporalibus, quia v. gr. Episcopus, seu Rector ecclesiae, sui beneficii, est dilapidator, debet esse fidelis, & probus, & circumspectus Administrator, cap. Grandi 2. de supplend. neglig. Pralat. num. 6. & sufficit quod sit constitutus in aetate viginti quinque annorum, cum aetate haeceat esse perfecta quoad administrationem temporalem. Unde & tali aetate potest quis esse tutor; l. 1. ultim. Cod. de legitim. tutela (Concordat lex 4. tit. 16. part. 6. vid. leg. 1. tit. 7. lib. 3. For. Reg. per quam debere viginti annos esse adimpletos, assertur) atque Procurator etiam ad judicia; cap. Qui generaliter, §. fin. de procuratoribus in 6. (Cum adh. hisp. verb. Procurator, consonant leg. 9. tit. 10. lib. 1. For. Reg. & 4. tit. 28. lib. 2. Recop. Ind.) Hinc nota quod coadjutor fere coincidit cum Administratore, qui tum in spiritualibus, tum in temporalibus à Sede Apostolica dari solet Episcopis à suo episcopatu legitime absentibus, vel personis Principibus auctoritate apostolica dispensatione promotis ad episcopatum ante legitimam aetatem, aut ipsis ecclesiis cathedralibus, ut fit mentio in cap. Is cui 42. de elect. in 6. juncta Glossa & DD. ibid. Et etiam coadjutor fere coincidit cum suffraganeo, qui solet deputari pro ecclesiis Cardinalium, & pro aliis, quae consueverunt suffraganeo habere, sicut enim dicitur coadjutor ad coadjuvandum, ita suffraganeus ad suffragando. Et ideo coadjutoria, & suffraganeatus sine successione, & solum temporales expirant per obitum Episcopi, quia non est quem coadjuvent, aut cui suffragentur, prout haec notat per Joa. Andrea in cap. Consultationibus 6. de Clericis aegrotantibus in 6. §. num. 10. & Fagn. in cap. Episcopalia 6. de privil. n. 58. & in cap. Ex parte 5. de Clericis aegrotantibus in 6. & 10. cum Rota p. 1. recent. dec. 456. n. 5. Sicuti etiam cessat redeunte Episcopo absente, aut Episcopo promoti ex dispensatione apostolica aetatem debitam attingente, illico cessat officium Administratoris interin constituti, c. De causis 4. de officio delegati.

Quamvis autem coadjutoria temporalis, sicuti & 26 suffraganeatus, & administratio cessat statim mortuo coadjuto; Coadjutoria tamen perpetua concessa per Sedem Apostolicam cum futura successione non expirat per obitum coadjuti; quia potius transit in jus plenum, & de jure ad rem transit in jus in re respectu ecclesiae, seu beneficii. Puteus dicitur 98. l. 2. Fagnan. in cap. ex parte 5. de Clericis aegrotantibus num. 15. & 16. & alii passim; per Apostolicam enim concessionem coadjutoria perpetua acquiritur coadjutori in beneficio jus ad rem, quod eveniente morte coadjuti efficitur jus plenum, seu in re: adeo ut non requiratur pro tali perpetuo coadjutore nova collatio, sed absque alio ministerio illa gratia

coadjutoriae ex primo jure sibi concessa, effectum sortitur; cum Papa in istis coadjutoriis perpetuis cum futura successione sub elatula ex nunc pro tunc faciat collationem, ut resolvit Rota in Throno, coadjutoriae 8. Novemb. 1599. cor. Penia, quae habetur impressa apud Garciam de beneficio. p. 4. cap. 5. num. 128. Predicta enim clausula operatur, ut unum tempus videatur alteri inesse, futurum scilicet in presenti; siquae actus postea factus censetur jam à principio factus. Barros. in tract. de clausulis usu frequent. clausul. 61. num. 1. & seq. Nec beneficium potest alteri conferri. Seraph. dec. 1447. num. 4. Fagnan. loc. cit. num. 16. Sed hic oritur dubitatio: An perpetuus coadjutor datus Episcopo cum futura successione, & cum libera potestate administrandi &c. possit ipso Episcopo coadjuto vivente, & contradicente, solus administrare quae sunt jurisdictionis spiritualis seu temporalis? Et ad hoc respondetur cum distinctione: Aut enim coadjutor datus est Episcopo demerenti, vel aliis omnino inhabili, ut in casu cap. Pastoralis unic. de Clericis aegrotantibus in 6. §. Si vero Episcopus; & tunc coadjutor potest solus administrare quia cum non possit Episcopus coadjutus prestare rationalem consensum, vel dissensum, §. Fariosus, insit. de inutil. stipulatis. Coadjutor libere exequitur, citat. §. Si vero Episcopus. Aut coadjutor datus est Episcopo impedito, vel aliis non prorsus inhabili, sed propter gravem infirmitatem, aut decrepitate[m], pastore[m] munit per se ipsum exercere non valenti, & tunc coadjutor non potest solus exequi, & expedire ea quibus Episcopus coadjutus rationabiliter contradicere ut colligitur ex cap. Pontifices 4. caus. 7. quest. 1. addita ibi hac ratio: Ne per necessitatis occasionem praesumptionis pullulet ambitio; & Rota in una Eborensi distributionum 23. Octob. 1598. cor. D. Corduba expresse tenuit, coadjutorem non posse inservire invito coadjuto; sed ipso petente; sic refert Garcias p. 4. de beneficio. cap. 5. num. 60. citans Campegium de coadjutore Episcop. num. 9. atque id probat ulterius ex cap. Nihil contra 16. §. Ecce caus. 7. quest. 1. & ex cap. Pastoralis unic. de Clericis aegrotantibus in 6. Et de mente Sacrae Congregationis Fagn. in cap. Ex parte 5. de Clericis aegrotantibus in 24. infer praecis his verbis: "Ut coadjutor datus Episcopo ob senium, aut aegritudinem, de ejus consensu, cum futura successione, & cum plena, & libera, & omnimoda facultate in temporalibus, & spiritualibus administrandi ea omnia, quae ad officium coadjutoris pertinent, minime possit se immiscere in exercitio pontificalium, neque jurisdictionalium, quibus defungi potest, & vult ipse Episcopus; nec ea solus expedire, quibus ex rationabili causa Episcopus contradicit." Coadjutor vivere debet, & recipere congruam portionem de proventibus ecclesiae, seu beneficii, cuius Praelato, vel Beneficiario datus est; cap. De Receptoribus 3. de Clericis aegrotantibus, ibi: "De facultatibus ecclesiae ad sustentationem suam, congruam recipiat portionem." cap. Pastoralis unic. de Clericis aegrotantibus in 6. §. Praesentibus, ibi: "Praesentibus quoque adjicimus sanctionem, ut coadjutores hujusmodi de proventibus Praelatorum, in quorum assumuntur, auxilium sumptus recipiant moderatos;" Concordat Concilium Trident. sess. 21. cap. 6. de reform. ibi: "Episcopi etiam tanquam Apostolicae Sedis Delegati eidem illiterati, & impeditis, si aliis honeste vix sint, coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eidem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint." Et in hoc conveniunt omnes Doctores, quando reditus ecclesiae, seu beneficii sunt abundantes, seu saltem sufficienti pro congrua sustentatione tam coadjutoris, quam coadjuti, v. gr. aegrotantis. Sed quis sit praefrendendus, an coadjutor, vel coadjutus, quando reditus ecclesiae non sufficient pro utroque, non parum controversum Doctores, Gloss. enim fin. in dict. cap. De Receptoribus 3. de Clericis aegrotantibus tenet, quod ex proventibus ecclesiae prius sit providendus coadjutor, ut pote operarius, qui ecclesiae inservit, ac proinde dignus est cibo suo, juxta illud Matt. 16. Dignus est operarius cibo suo. Coadjuto autem infirmo provideat portio Episcopi; & ad hoc alleg. cap. 1. & 2. dist. 82. & cum Glossa concordat Tancred. & Goffred. in dict. cap. Ferrar. Biblioth. Tom. II.

De Receptoribus. Henrich Boich. in dict. cap. Consultationibus, de Clericis aegrotantibus. Sed tenenda est sententia contraria; quod scilicet in casu dicte insufficientie reddendum ecclesiae pro utroque, sit praefrendendus coadjutus, & ipse potius sit subveniendus, quam coadjutor; & sic tenent Vincentius Cardinalis, & Abbas in dict. cap. De Receptoribus n. 5. Barb. ibid. n. 4. Fagnan. ibid. n. 12. Pirhing. lib. 3. decr. tit. 6. n. 8. Reiffenstuel ibid. num. 57. Engel ibid. n. 3. & alii magis communiter.

Et ratio est, quia coadjutus infirmus adhuc remanet Praelatus, & Rector ecclesiae, saltem quoad jus, licet non quoad exercitium, adeoque illi prius subveniendum est de redditibus ecclesiae tanquam proprio Rectori, & Praelato; maxime quia is adhuc ut infirmus residere debet; ut pro parcho declaravit Sacra Congregatio Concilii his verbis: Propter deputationem coadjutoris, parochus, cui datur, non poterit abesse de residentia, sic refert Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 6. §. 9. n. 30. Et pro Episcopo declaravit Sacra Congr. Episcop. & Regular. his verbis: "Cum Episcopus Nicoteren. eo quia coadjutorem in ejus episcopatu haberet, à residentia abesseret; Sanctissimus sub die 7. Septem. 1619. mandavit dari literas Episcopo, eum monendo, quod concessio coadjutoris non liberat à residentia, & quod propterea omnino ad suam accedat residentiam;" sic refert Barros. lib. 1. juris eccles. cap. 17. num. 13. Unde cum sic, ratione hujus suae residentiae, censetur ecclesiae suae deservire, cap. 1. de Clericis aegrotantibus merito ex ejus facultatibus est sustentandus; cap. Cum secundum 16. de praebend. Et cum coadjutus habeat titulum, & possessionem cum servitio residentiae, praefrendendus est coadjutus, qui ex Rota dicitur 410. num. 5. part. 4. recentior. nec titulum habet, nec possessionem, sed nudum exercitium; alioquin si aegrotus subtraheretur stipendia, hoc exemplo deterriti non inveniuntur, qui vellent ecclesiae militare; ut dicit Pontifex in cit. cap. 1. de Clericis aegrotantibus, ibi: Quia si alii ejus essent exemplo deterriti, forte non posset, qui militaret ecclesiae, inveniri. Tum quia pro hac nostra sententia multum etiam facit textus in dict. cap. De Receptoribus, quod scilicet coadjutor de facultatibus ecclesiae ad sustentationem suam congruam recipiat portionem; & textus in dict. cap. Pastoralis unic. de Clericis aegrotantibus in 6. quod scilicet coadjutores hujusmodi de proventibus Praelatorum, in quorum assumuntur auxilium, sumptus recipiant moderatos; & textus Concilii Trident. sess. 21. cap. 6. de reform. quod scilicet Episcopi partem fructuum eidem (coadjutoribus) pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, ex quibus textibus satis innotet, quod proventus ecclesiae primo, & principaliter sunt in dispositione coadjuti, veluti Praelati, & Rectoris ecclesiae, & consequenter quod illius necessitati prius sit providendum, & postea si redditus sufficient, sit providendum coadjutori cum congrua portione, seu cum moderatis sumptibus, seu cum parte fructuum ipsius ecclesiae. Si vero redditus ecclesiae pro utroque non sufficient, tunc coadjutori pro tanto adhuc ipsi ad congruam sustentationem deficiet, providebit Episcopus in quantum sibi possibile fuerit, juxta cap. 1. dist. 82. allegat. à Glossa supra num. 34. pro sententia contraria; & si nullo modo id Episcopus prestare sufficiat, tunc auctoritate ejusdem Episcopi erit cogendus populus ad coadjutori necessariam praebendam; arg. cap. Omnibus christianis 67. de consecratione dist. 1. & Gloss. ibid. verb. Vacuus, & cap. Ad Audientiam 3. & cap. De his 4. de eccles. edificand. Et Concilium Trident. sess. 31. cap. 4. de reform. ubi statuitur, quod si redditus ecclesiae non sufficient pro Sacerdotibus parochialium noviter erectarum, cogi possit populus ea subministrare, quae sufficient ad vitam didorum Sacerdotum sustentandam; & in coadjutore sic aliis respondit Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpret in Theatin. ut refert, & tenet Fagnan. in cap. De Receptoribus 3. de Clericis aegrotantibus num. 13. & sic etiam tenet Abbas ibidem num. 5. & 6. Barbosa num. 4. Azorius part. 2. lib. 3. cap. 2. num. 9. Pirhing lib. 3. Decret. tit. 6. n. 8. Reiffenstuel ibid. num. 58. & alii passim.

- 42 De iis, quæ concernunt coadjutorem perpetuum datum Archiepiscopo, vel Episcopo, habetur specialis declaratio Sac. Congr. Rituum data 31. Januar. 1561. ad dubia proposita nomine Cardinalium Paleotti, & Veroniquibus respondendum censuit, ut sequitur.
- 43 Ad primum dubium censuit, coadjutori cum futura successione non licere ingredi civitatem pontificaliter, quia licet sit coadjutor cum futura successione, ex quo tamen non habet jus in re, sed ad rem, non debet recognosci tamquam superior, & caput, sed ut coadjutor, & eo magis, quia contingere potest ut non succedat in episcopatu, sed prior moriatur.
- 44 Ad secundum respondit, ipsum non debere uti cruce in divinis, nec in functionibus pontificiis, nec dum incedit per Urbem, cum crux sit signum, & ornamentum dignitatis, jurisdictionis, & coadjutor utraque caret.
- 45 Ad tertium censuit coadjutorem pontificalia in ecclesia exercere absente Archiepiscopo uti posse cappam, cum ea sit tantum ornamentum dignitatis episcopalis; praesente autem Archiepiscopo, uti debet mantelletam, & rochetto; neque licere unquam coadjutori uti mozzeata, & rochetto etiam absente Archiepiscopo, cum hoc proprium sit eius, penes quem est dignitas, & jurisdicatio.
- 46 Ad quartum respondit negative, cum, una sedes non capiat duos.
- 47 Ad quintum censuit Canonicos esse compellendos, ut coadjutori Episcopo solemniter celebranti, & pontificalia exercenti semper assistant, alioquin indecorum videretur, si Episcopus sine canonicorum assistentia celebraret, nec non videretur esse contra decretum Concilii Tridentini, quod extensive huic etiam casui accommodari potest.
- 48 Quoad circulos respondit, Canonicos non debere accedere ad circulos, cum ipsi circuli denotent membrorum unionem ad ipsum caput, ut ex superius deductis constat, coadjutorem non debere esse caput.
- 49 Quo vero ad confessionem faciendam cum celebrante solemniter, respondit decere, ut coadjutori Episcopo confessionem faciat cum sacerdote Canonice celebrante, ut idem quoque benedicat in fine missæ, ne populus praesens benedictione episcopali defraudetur, & jam est usus receptum, ut Episcopus benedicturus in fine missæ faciat etiam confessionem cum celebrante.
- 50 Ad sextum censuit, licere coadjutori, de licentia tamen Archiepiscopi, benedicere populo, dum per civitatem incedit.
- 51 Ad septimum respondit, maxime decere ut Canonici prodeant obviam coadjutori Episcopo ad eccles. pontificaliter accedenti ad ostium ecclesiae, eumque discedentem ad idem hostium deducant, immo esse valde commendandum, si nonnulli Canonici officii, & urbanitatis gratia ad ipsius coadjutoris aedes accedant.
- 52 Ad octavum respondit coadjutorem non habere facultatem largiendi Indulgentias, & sic eas Archiepiscopi nomine, si quas Archiepiscopus concedere voluerit, esse publicandas.
- 53 Coadjutor Episcopi non sedet celebrans nisi in faldistorio, neque habeat Diaconos assistentes, neque Canonicos paratos, neque septimum candelabrum. Sacra Congregatio Rituum 1. Septembris 1607. Nec utitur baculo, nisi in ordinationibus. Ead. Sacra Congregatio eadem die, & anno. Ipse tamen coadjutor Episcopi celebrans praeter Diaconum, & Subdiaconum, debet habere assistentem Canonice pro libro. Ead. Sacra Congregatio 7. Augusti 1627. Coadjutor Episcopi non tenetur visitare limina Apostolorum, sed coadjutus. Ead. Sac. Congr. Concil. die 4. Augusti 1609. Coadjutor Episcopi etiam non adhibitus ad ullam functionem, tenetur residere; neque discedere potest absque consensu coadjuti, vel licentia Sacrae Congregationis; & tenetur, quoties fuerit requisitus, pontificalia, & alias functiones obire, quamvis coadjutus propria impedimenta non probet. Sacra Congr. Episcop. in Fulginaten. 28. Maii

1628. Non potest dicitur coadjutor presente coadjuto benedictionem pontificalem impetiri; non est tamen cogendus in hoc casu missas, aut vespere celebrare, sed hoc peragi debet à simplici Canonico, vel dignitate; tenetur tamen interesse concionum in cathedrali etiam absente coadjuto in loco decenti, & separato, sed non sub Baldachino, eadem Sacra Congregatio in dict. Fulginaten. eodem die, & anno. Coadjutor debet, quoties fuerit requisitus, coadjutum in visitatione comitari, expensis tamen ipsius coadjuti pro eo, & familia, & absque ulla exactione procuratoris ejusdem coadjutoris; visitans autem ex commissione coadjuti non potest recusare assistentiam Vicarii Generalis cum facultatibus, quas ei dare coadjuto placuerit. Eadem Sacra Congregatio Episcop. in dict. Fulginaten. eodem die, & anno, ut refert Nicol. in lucubrat. tom. 2. tit. 6. lib. 3. num. 3. 6. 7. 9. 10. & 11. Cum Episcopus habens coadjutorem est impeditus, non potest functiones alteri, quam coadjutori delegare. Sacra Congregatio Episcop. in Firmiana 25. Septemb. 1623. apud Nicol. loc. cit. num. 5. ubi num. 12. ait quod Episcopus non potest coadjutorem punire, licet sit etiam canonicus, vel Archidiaconus in sua ecclesia, & sic nec ratione beneficii. Sac. Congregatio Concilii in Posnaniens. 18. Februarii ejusdem anni. Episcopus coadjutus debet dare suo coadjutori commoditatem habitationis in palatio episcopali, & omnia necessaria pro exercitio pontificalium, & pro aliis episcopalibus functionibus. Sacra Congregatio Episcop. in Nicoteren. 27. Junii 1619. Coadjutor separatim tribunali statueret, aut habere non potest, sed in consuetudo tribunali Episcopi jus reddendum est. Sic ex Sacra Congregatione infert Fagnan. in cap. Ex parte quinta, de Cleric. egrotant. num. 27. Episcopus residere tenetur, licet habeat coadjutorem. Sacra Congr. Episcop. 63. in Neapolitana 24. Martii 1597. & in Nicoteren. 7. Septemb. 1619.

Coadjutor Episcopi Metropolitanus Bononiensis, debet precedere Vexillifero ejusdem civitatis. Sacra Congr. Rit. in Bonon. 4. Maji 1592. Coadjutor Episcopi in synodo provinciali debet sedere inter Episcopos provinciales loco suæ promotionis, cum propriis radiis fulgeat; sic decrevit Sac. Congr. Rit. 20. Septemb. 1596. pro coadjutoribus Episcoporum Veronen. & Trident. occasione synodi provincialis Aquilejensis. Coadjutor parochi in absentia coadjuti in functionibus parochialibus praecedit Beneficiatos, & recipit eadem emolumenta, quæ coadjuto debeatur. Sac. Congr. Concil. in Lucana 15. April. 1690. De coadjutoribus perpetuis Canonicorum, vide verb. Canonicus art. 10. per tot.

Episcopo titulari suffraganeo, qualis honor, & praeminentia debeatur in ecclesia, in qua vice Episcopi Ordinarii functiones pontificales exercet, innuitur in provisionibus capitis à Sac. Congr. Rituum in Veliterna, in qua pro parte illius Suffraganei propositis sequentibus dubiis.

- 1 An saltem aliqui Canonici teneantur eidem suffraganeo obviam ire usque ad ostium ecclesiae, ibique ex iisdem dignior aspersionem porrigere, & in reditu usque ad eandem Januam comitari, dum cappa indutus ad pontificales functiones obundas accedit, antecessoris convivia minime obstant?
- 2 An eidem suffraganeo debeatur genuflexorium cum stratu, & pulvinariis ad orandum ante SS. Sacramentum, dum occasione earundem functionum ecclesiam ingreditur?
- 3 An suffraganeo facienti ordinationes generales in aliquo ejusdem ecclesiae sacello (propter impedimentum altaris majoris ex causa recitationis horarum in choro) debeant in eodem sacello assistere aliqui ex Canonici?
- 4 An dum assistit concioni Prædicatoris, salutatio ei prius dirigi debeat distincte ab illa Canonicorum & Magistratus secularis?

Sacra Congregatio die 6. Septembris 1696. respondit. Ad primum posse de licentia Eminentissim. Decani 73. Epis-

- Episcopi Ostiensis, & Veliterni deferre cappam, & in hoc casu teneantur duo Canonici ire usque ad ostium ecclesiae, & dignior porrigat aspersionem, quo suffraganeo se ipsum tantum aspergat, & pariter eum associet in reditu usque ad eundem locum.
- 74 Ad secundum, in voto Magistri cæremopiarum.
- 75 Ad tertium, servetur pontificali cum missa solemniter in altari majori presentem clero.
- 76 Ad quartum, affirmative quatenus sedeat in Presbyterio.
- 77 Quia vero in aliis præminentissimis, & juribus præfatum suffraganeum excesis modum capitulum conquerebatur, eodem tempore per viam reconventionis proponi curavit sequentia dubia.
- 78 1 An suffraganeus Veliternus occasione functionum episcopaliū sollempnium teneatur se parare in sacristia, vel potius paramenta sumere ab altari, vel in faldistorio?
- 2 An valeat deferre cappam pontificalem in accessu, & recessu ad ecclesiam cathedralem, & quatenus affirmative?
- 3 An possit sibi deferri facere caudam ejusdem cappæ per alium, seu potius illam deferre teneatur involutum sub brachio sinistro?
- 4 An similiter possit sibi deferri facere caudam vestis violaceæ una cum elevatione fimbriæ anterioris in plano pavimento ecclesiae.
- 5 An eidem accedenti ad ecclesiam porrigi debeat aspersionem ad Januam ecclesiae per aliquem ex Canonicis, & an possit alumnos seminarii, aliosque circumstantes aspergere, vel potius aquam tantum recipere extremitate digitorum?
- 6 An possit per civitatem uti mantello oblongo coloris violacei cum signis rubei super vestem nigram interiorem, vulgo Zimarra?
- 7 An per civitatem possit sibi deferri, & elevari facere umbellam sericam viridis coloris?
- 8 An dum assistit concioni possit sedere in Sede preparata à Canonicis, vel potius debeat sedere in eodem scamno Canonicorum, absque tapeto, & in quo habitus?
- Quibus Congregatio eadem supradicta die respondit.
- Ad 1. An Si accedat cum cappa, in faldistorio; aliàs in Sacristia.
- Ad 2. Jam provisum.
- Ad 3. Negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam.
- Ad 4. Negative.
- Ad 5. Jam provisum.
- Ad 6. Negative.
- Ad 7. Negative.
- Ad 8. Dilata.
- 94 Episcopus suffraganeus quando nomine proprii Episcopi exercet functiones episcopales, debet habere assistentiam Dignitatum, & Canonicorum. Sac. Congr. Rituum in Bracharen. 21. Febr. 1604. Episcopus suffraganeus solemniter celebrans non debet habere assistentiam duorum Canonicorum ultra Diaconum, & Subdiaconum, qui sunt cantaturi evangelium, & epistolam, sicut haberet proprius Episcopus; sed sufficit Diaconus & Subdiaconus, & unus Canonice paratus cum pluviali ad librum. Sacra Congr. Rituum in Casaraug. 9. Maji 1606. & in Bracharen. 1. Septemb. 1607. Episcopo suffraganeo solemniter celebranti non debent Canonici assistere, sicuti assisterent Episcopo proprio, sed in habitu ordinario, & canonicali. Eadem Sac. Congr. Rituum in dict. Bracharen. Episcopo suffraganeo facienti ordinationes, vel alias functiones nomine proprii Episcopi, Canonici debent accipere paramenta. Eadem Sac. Congr. Rituum in dict. Bracharen. Episcopo

suffraganeo non tenentur Canonici obviam ire usque ad cubiculum, sicut tenentur proprio Episcopo venienti ad ecclesiam, sed satis est si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam ecclesiae; Sac. Congr. Rituum in dict. Bracharen. 1. Septemb. 1607. Episcopus suffraganeus solemniter celebrans non debet sedere in sede episcopali, sed in faldistorio; eadem Sac. Congr. Rituum in dict. Bracharen. Episcopus suffraganeus solemniter celebrans non debet uti baculo pastorali, nisi in ordinationibus, & aliis actibus necessariis; ead. Sac. Congr. Rituum in dict. Bracharen. Episcopo suffraganeo solemniter celebranti non debet poni super altare septimum candelabrum, sicut ponitur celebrante Episcopo Ordinario. Ead. Sac. Congr. Rituum in dict. Bracharen. (Vid. lit. C. pag. 17. verb. Candelabrum.) Episcopus suffraganeus non dispensat supra Interstitiis, nisi habeat speciale mandatum; neque votum habet in approbatione ordinandorum, nisi sit ex numero examinatorum. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Bracharen. 14. Februar. 1685. Episcopus suffraganeus ubi per diocesim pro pontificalibus exercendis proficisci contigerit, expensas ab Episcopo habere debet; ead. Sac. Congr. Episcop. in dict. Brixianensi. Episcopus suffraganeus non potest visitare clausuram monasteriorum monialium, nisi sit simul Vicarius Generalis, & ab Episcopo, cujus est suffraganeus, facultatem Vicarii Generalis, vel alius speciale mandatum habeat, prout pro suffraganei Germaniæ declaravit Sac. Congr. Concil. 17. Junii 1630. lib. 4. Decr. fol. 300.

Coadjutorem habens in animarum cura, aut in canonicatu, tenetur residere in loco parochiae, aut canonicatus, ut coadjutoris impediti vices supplere possit; Ben. XIV. tom. 1. const. 135. incip. Quod inscrutabili §. 28.

De coadjutoria vide, quæ diximus in addit. ad verb. Canonicus art. 10. Hic vero tria, eaque magni momenti sunt notanda. Primum est, quod gratia coadjutoriae cum futura successione minime valida sit, si consensus detur a procuratore post obitum coadjuti. Nec obstat, quod aliud sit gratia coadjutoriae, aliud futura successio, quia utrumque provenit legitimo consensu coadjuti, qui non dicitur adesse, dum datur a coadjutore post obitum coadjuti; Rota in Seguntina Archiepiscopatus 6. Maji 1726. cor. bon. mem. Cornelio.

Alterum est, quod in coadjutore ad tempus qualitates necessariae concurrere debent de tempore gratiæ; at in coadjutore perpetuo cum futura successione possunt intra annum concurrere; Rota in Monasterien. Decanus 9. Junii 1738. §. 9. cor. clar. mem. Millino.

Tertium est, quod coadjutore effecto impotenti ad servitium ecclesiae, cessat gratia coadjutoriae; & ita quidem, ut nec successionem in beneficium pretendere valeat ipse coadjutor; plenissime Rota in Mindonien. coadjutoria 2. Decembris 1732. & in confirmatoria 25. Februarii 1733. cor. clar. mem. Aldrovando. (Vid. lit. B. pag. 310. col. 2. sup. ex pag. 56. ad 58. & lit. D. pag. 8. col. 1. in omnibus cum add. hisp. & novis.)

## CODICILLUS.

Vide verb. Testamentum art. 4. per tot.

## COEMETERIUM.

**L**oca humanis corporibus destinata usitatissimum olim & hodie dicuntur coemeteria à græco verbo *coemeterion*, quod *dormire* significat; ex eo scilicet, ait Baronius ad an. 226. quod fides doceret christianos non

Satis superque notatum circa præsentem materiam advertitur; (1) superfluumque proinde videretur immorari.

(1) Vid. verb. Adjuncti, & verb. Canonicatus. Ferrar. Biblioth. Tom. II.

mori, sed rursus excitandos, interea in Domino obdormire.

<sup>2</sup> Coemeterium ut corporibus christianorum humanis deserviat, prius in locum religiosum per Episcopum solemni ritu erigendum, & consecrandum est. (Ad idem leg. 1. & 4. tit. 13. part. 1.)

<sup>3</sup> Hujus ritus consecrandi, seu benedicendi coemeteria videtur etiam Sanctus Gregorius Turonensis de gloria Confessorum, cap. 106. meminisse; adeo ut consecrationem coemeterii cum ipsa quodammodo ecclesiae consecratione coepisse affirmari possit.

<sup>4</sup> Immo coemeterium tamquam partem, & appendicem, aut verius arcam, vel porticum ipsius, una quasi consecratione cum ipsa ecclesia consecratum fuisse, innuere videtur Innocentius III. tit. de consecr. eccles. scribens:

<sup>5</sup> *Coemeteria vero in quibus excommunicatorum corpora re-peliuntur per suorum violentiam propinquorum, reconcilianda erunt aspersione aquae solemni benedictae, sicut in ecclesiis dedicationibus consuvi.*

<sup>5</sup> Coemeterium per solemnem benedictionem è loco profano efficit locum religiosum; immo tamquam ecclesiae appendicem etiam de jure immunitatem localem esse indultam, compertum est.

<sup>6</sup> Ecclesias, & coemeteria tamquam loca religiosa junxit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. decernens

<sup>6</sup> *Ut cessent in ecclesiis earumque coemeteriis negotiationes, & precipue nundinarum ac forti iurisdictionum tumultus, omnis in eis secularium iudiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis agatur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena.*

<sup>7</sup> Coemeteriis tamquam locis religiosis specialem venerationem debere, ex pluribus patet, quæ ad eorum decorem, & venerationem conducunt. Synodus enim P. II. Cameracensis tit. 13. cap. 6. statuit: *Coemeteria diligenter sepiantur, & claudantur, nec animalia in eisdem ad pasendum admittantur.* Quod interdixisse quoque videtur Synodus D. Mechliniensis tit. 11. cap. 16. ubi statuit: *Ut coemeteria muris, fossis, aut sepibus ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis, aliisque similibus animalibus nullus pateat accessus.*

<sup>8</sup> Ita ut profanas omnes actiones synodi voluit à coemeteriis abesse, & generaliter nihil in eis permitti, quod loci religioni à sanctitati repugnet, ut speciatim colligitur ex Concl. Lugdun. sub Gregor. X. in cap. 2. de immunit. eccl. in 6. quod nominatim de coemeteriis loquens, statuit: *Ut cessent in ecclesiis earumque coemeteriis, negotiationes, & precipue nundinarum ac forti iurisdictionum tumultus.*

<sup>9</sup> Ex ipsius coemeterii benedictionis formula, quæ hodie in Pontificali legitur, sat constat coemeterium unice benedici ad inhumationem corporum christianorum, adeo ut summus abusus dicendus sit mos hodiernus promiscue sepeliendi in ecclesiis.

<sup>10</sup> Admissio in coemeterio ad ecclesiasticam sepulturam videtur esse species quædam communionis.

<sup>11</sup> Hinc est quod excommunicatis, aliisque, quibus in vivis non communicamus, non tantum sepultura sit neganda; sed insuper per eorum in loco religioso, sive coemeterio sepulturam, locus ipse pollui, seu profanari cequant, earent saltem, ut divina officia ibidem agi nequeant, ne ecclesia illud ibidem sepultum in sua communione recipere videatur, neque ullus fidelis eo loco sepeliri possit ne per eam inhumationem cum excommunicato ibidem sepulto, cum quo in vivis communicare non poterat, post mortem communicare videatur.

<sup>12</sup> Unde conformiter ad plurimos synodorum canones Innocentius III. in cap. 12. tit. de sepulturis, respondit: *Si contingat interdictum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in coemeterio ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterint, exhumari debent, & procul ab ecclesiastica sepultura factari.*

<sup>13</sup> Coemeteria non secus ac ipsæ ecclesie hodie ubique asylo gaudent, quia scilicet tamquam loca sacra solemni ritu ab Episcopo benedicuntur, & humanis fidelium cadaveribus specialiter deputantur; utilitatis ostendit Gambacurta, in suo speciali de hæc immunitate tractatu lib. 4.

cap. 3. (Vide addit. novis. hisp. supra pag. 6. in fin. col. 2. circa in num. 13. exposita recognoscere lit. I. pag. 23. in addit. hispan.) \*\*\*

COGNATIO LEGALIS.

<sup>1</sup> **C**OGNATIO legalis oritur ex adoptione, quæ quibus liberos naturales non habens, alienum sibi in filium adoptat.

<sup>2</sup> Cognatio, quam adoptio parit, civilis, & legitima, seu legalis, ad differentiam cognitionis naturalis, appellatur leg. 4. §. 2. ff. de gradibus; quia sola lege adoptio nititur, & actus est mere civilis.

<sup>3</sup> Cum autem per legem ideo induta sit adoptio, ut is, qui natura filius non erit, filius per legem efficiatur adoptanti, consequens visum est, ut nec inter hos per matrimonium vinculum alia connexio seu necessitudo intercedere debeat.

<sup>4</sup> Itaque civilis hæc cognatio impedimentum matrimonii contrahendi inter adoptantem, & adoptatam, & generaliter inter omnes personas quæ per adoptionem liberorum, & parentum loco sunt, induxit, idque etiam soluta adoptione per emancipationem, leg. 17. & 55. ff. de ritu nuptiarum.

<sup>5</sup> Quod impedimentum ulterius leges extendunt ad adoptatum, & filias naturales adoptantis; quasi jure fraternitatis, quod inter adoptatum tamquam filium legale adoptantis, & hujus proles naturales intercedit; hæc tamen differentia, quod hoc fraternitatis impedimentum solvitur, soluta per emancipationem adoptione, dist. leg. 55. §. 1. quia post emancipationem, ait, extraneus intelligitur.

<sup>6</sup> Hoc impedimentum à legum auctoritate primùm inductum, ecclesia quoque recepit, usque mentio fit apud Gratian. in cap. 6. caus. 30. quest. 3. & in capit. unic. tit. de cognat. legali, ubi ex responsis Nicolai I. ad consulta Bulgatorum refertur: *Si qua per adoptionem mibi soror esse coeperit, quamvis dicitur adoptio, inter me & ipsam nuptia consistere non possunt.*

<sup>7</sup> Nec legitur, ecclesias circa hoc impedimentum aliquid mutasse; nec quidem innovavit ipsa Synodus Tridentina, ut monet Cujacius ad titulum decretalium de cognatione legali; qui credit etiam hodie fraternitatem legalem constituere impedimentum dirimens; nimirum durante adoptione; quemadmodum legibus constitutum erat, & ipse Nicolaus I. respondit.

<sup>8</sup> Quæ adducit Auctor noster quoad hæc cognationem, vide verb. Impedimenta matrimonii art. 1. numer. 61. ad 63. \*\*\*

<sup>9</sup> (Prohibetur hoc casu, ut inter adoptantem, & adoptatam, etiam adoptio finita, matrimonium contrahatur; secus inter filios naturales, & adoptivos; quocumque tempore, sive adoptio finita, sive non, inter hos dumtaxat contractum sustinetur: dato propter cognationem inter uxoris adoptantis, & adoptiatum, ac inter adoptati uxorem, & adoptantem impedimento, etiam adoptione non subsistente, de jam de facto matrimonium contractum dirimitur: leg. 7. & 8. tit. 7. part. 4. vide tit. 22. lib. 4. For. Reg. & tit. 16. part. ejusd. 4. in quibus denotatur quid sit adoptio: quatuorplex: quis adoptare, & adoptari possit: vis, & ejus effectus: quando adoptatus ex adoptantis potestate exit, & qualis eorum successio. Vide lit. E. pag. 322. verb. Eunuchus.)

COGNATIO SPIRITUALIS.

<sup>1</sup> De cognatione spirituali, vide verb. Baptismus art. 7. per tot. verb. Confirmatio art. 3. verb. Impedimenta matrimonii art. 1. ad num. 47. ad 59. quibus adde sequentem hæc casum, qui hoc afferunt.

<sup>2</sup> Cognatio spiritualis an fuerit contracta in hoc casu dubitatur. Petrus & Ana conjuges elegerunt in susce-

res in Baptismo filii Andream & Lauram; sed adventante tempore Baptismi, audiens Andreas à Petro fuisse electam Lauram in commatrem, rogavit Petrum, ut illa posthabita eligeret Rosam; replicavit Petrus se id facere non posse citra injuriam; cui responsioni Andrea non acquiescente, idem Petrus omnia retulit Parocho, & facta expressa declaratione animi sui quod nullo pacto intendebat Rosam in commatrem habere; Parochus consilium dedit, ut ambe admitterentur, sed pollicebatur expresse se nullatenus admitturum Rosam ad tangendum infantem. Cui consilio Petrus acquiescens designavit etiam Rosam in commatrem; ista autem præter intentionem Petri, & promissionem eidem Petro factam à Parocho, infantem in actu Baptismi simul cum Laura tetigit. Queritur an fuerit contracta compaternitas etiam inter dictam Rosam, & Petrum, an potius solum inter Petrum, & Lauram; Sac. Congr. in Aquis. 10. Martii 1631. censuit contraxisse etiam cum Rosa, quia fuit designata; sic ex Sello refert Barbosa collect. dec. apost. verb. Cognatio spiritualis num. 10. Vide ut supra cit. verb. Confirmatio art. 3. verb. Impedimenta matrimonii à num. 48. ad 59.

<sup>3</sup> **A**d cognitionis legalis imitationem, & exemplum comparata est cognatio spiritualis, atque impedimentum matrimonii ex ipsa profertur. Sicuti enim adoptans adoptatum sibi in locum filii assumit & habet; ita quoque acceptor, sive patruus recipit baptizatum in filium suum spirituale, id est, ut illi patris spiritualis loco sit, sive ejus curam spiritualem tamquam alter pater gerat.

<sup>4</sup> Hanc cognationem spiritualem, & ex ea resultatans impedimentum matrimonii, notam fuisse in ecclesia græca seculo VII. manifestum est ex canon. 53. Synodi VI. in Trullo, ubi Patres dicunt: *In nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto, & salutari Baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contraherent, statumur, ut in posterum nihil fiat hujusmodi. Si qui autem post præsentem canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem ab illicito matrimonio desistant: deinde & fornicatorum poenis subjiciantur.*

<sup>5</sup> Hanc omnem cognationem, atque exinde resultatans impedimentum, esse ex jure mere positivo, sat ostendit varia quæ diverso tempore, & in diversis ecclesiis circa hæc fuit disciplina.

<sup>6</sup> Synodus quoque Tridentina nullam hic divinam legem, quæ impedimentum hoc induceret, aut ad certas personas extendisset, agnosces, illud contra jam pridem stabilitam disciplinam in multis restrinxit: *Eo quod decreet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitiis ignoranter contrahi matrimonium, in quibus vel non sine magno peccato perseveraverit, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Uti loquitur cap. 2. sess. de reformat. matrimonii.*

<sup>7</sup> His incommodis occurrere volens synodus statuit: *Ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant; & inter ipsos ac baptizatum ac illius patrem & matrem, nec non inter baptizatum, baptizatiq. patrem ac matrem, spiritualis cognatio contrahatur.*

<sup>8</sup> Ex hoc decreto modernam ecclesie disciplinam circa cognationem spiritualem metiendam esse compertum est.

<sup>9</sup> Hinc contra dispositionem veterum canonum, & capit. 1. tit. de cognat. spirituali hodie valet matrimonium contractum inter filiam suscipientis, & baptizatum, uti censuit Sac. Cong. apud Fagn. ad dist. cap. 1. numer. 4. neque ultra personas in decreto antedicto expressas impedimentum extenditur.

<sup>10</sup> Cognatio spiritualis contrahitur inter conjuges, sialter eorum prolem communem suscipiat, vel baptizet extra casum necessitatis; quæ cognatio impedit usum conjugii, saltem donec Ordinarius dispenset.

<sup>11</sup> Ob quam cognationem tamen Gratianus affirmat, quod mulier à viro suo non sit separanda; quod & de viro similiter oportet intelligi. Et hæc conclusionem sequuti Pontifices, ac signanter Alexander III. in capit. 2.

*tit. de cognatione spirituali*, respondit: *Quæ sive ex ignorantia, sive ex malitia, propriam filium de fonte susceperint, non erit ad invicem separandos, nec alter alteri debitum debere substatere, nisi ad continentiam servandam possint induci.*

<sup>12</sup> Quæ de cognatione contrahenda in Baptismo decrevit Synodus Tridentina, eadem servati voluit in ea cognatione, quæ ex confirmatione contrahitur, ut scilicet hæc extra confirmationem & confirmatum, illiusque patrem, & matrem ac tenentem non egrediatur.

<sup>13</sup> Cum nontantum per Baptismum quæ dicitur regenerari, sed etiam per sacramentum Penitentiae, tamquam per secundas naufragitabulas, hinc & creditum jam pridem fuit, inter penitentem & sacerdotem, spiritualem quamdam cognationem oriri, alicque Gratianus ad causam canonis 7. dicitur etiam spiritualis filia sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur. Unde peccatum carnis inter illos gravius est, graviusque puniendum.

<sup>14</sup> (Vide lit. B. pag. 283. colam. 2. in addit. hispan. ibique tit. cit. 7. part. 4. in quo exponitur: *Quid sit compaternitas: quatuorplex: inter quos contrahatur, sive ex Baptismo, & Confirmatione progeniar: inter quos non desat impedimentum ad contrahendum: quod dirimeren inter spirituales, & naturalem cognationem quando non sunt conjuges separandi, etiamsi Baptismum filio contulerit pater, vel eum ad confirmandum presentaverit.*)

COGNATIO NATURALIS.

Vide verb. Impedimenta matrimonii art. 1. num. 28. ad 47. (Vide lit. A. ex pag. 77. ad num. 80. colam. 1. lit. D. pag. 95. vers. In quinto: & seq. recognoscatur idem verb. Impedimenta matrimonii.)

COLLATIUNCULA.

Die jejunii. Vide verb. Jejunium art. 1. d. num. 14. & 41. ad 46.

COLLEGIUM, COLLEGIATA.

SUMMARIUM.

- 1 **C**ollegiorum quæ habeat synonyma, unde dictum, & quid sit, ad n. 2.
- 2 Universitas, & Communitas unde sint dictæ, & quid sint, ad n. 4.
- 3 Ad constituendum collegium quot persona requirantur, ad n. 8.
- 4 Quot persone constituunt universitatem.
- 5 Quam alia universitatis nomine censentur.
- 6 An quandoque jus universitatis in una dumtaxat persona consistere possit.
- 7 Quot persone sufficiant ad constituendam Congregationem, familiam, parochiam, populum &c. ad n. 18.
- 8 Collegiata à quo sit erigenda, ad n. 21.
- 9 Quæ sint jura episcopalia circa collegiatas, ad n. 31.
- 10 Collegiatis ecclesie quibus & quot modis probetur in dubio, ad n. 50.
- 11 Quæ collegiata dicatur insignis, & quomodo non insignibus precedat, ad n. 57.
- 12 An Canonici possint de bonis ecclesie privilegia sibi comparare, ad n. 59.
- 13 Quæ sint collegiarum ritus, coremonia, status, prærogativa, jus precedendi, onera sibi infusa &c. ad n. 76.
- 14 Subnegetur Additiones ex aliena manu, ad n. 95.